



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

82. Serapia dum præcisè dolet, se non dolere, non est disposita ritè ad
absolutionem; quamvis ex his verbis legitimus dolor rationabiliter
præsumi possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Atque ex his patet ad argumenta in contrarium.

LXXXII. Serapia malefama mulier, dum peractâ Confessione interrogatur, num de enarratis peccatis doleat, ait, dolere se, quod non doleat, quo intellecto absoluitur tanquam sufficienter attrita. Queritur. An rectè?

Viderur bene absolui. Ita Palludanus in 4. Dist. 17. q. 11. art. 5. Sà V. Contritio, & nonnulli: quia in ea attritione virtualiter continetur dolor peccatorum.

R. Serapiam malè absolui, si præcisè doleat, quod non doleat. Ita Henriquez, Vasquez, Bonac. Filliuc, Tr. 7. c. 6. q. 2. & alij communiter. Ratio desumitur ex Sacris Concilijs. Nam Eugenius IV. in florentino, & Trident. Sess. 14. c. 14. & alibi docent, necessariam esse Pœnitentiam, per quam peccator Dei offensionem, & peccata præterita detestetur. Atqui dolor Serapiæ non est de offensione DEI, & peccatis commissis, sed solùm de carentia doloris, cum quo dolore absolutè affectus ad peccata stare potest. Ergo talis dolor non sufficit, nec disponit sufficienter Serapiam ad absolutionem. Dixi, si præcisè doleat &c. non enim negandum videtur, cum actu, quo quis dolet, se non dolere de peccatis, plerumque coniunctum esse dolorem de peccatis, & hoc rationabiliter præsumi à Confessario posse; nam dolor de carentia attritionis indicium

est voluntatis desiderantis attritionem, quâ voluntate positâ, nihil amplius obstat, quo minus ad eam tanquam ad eum imperantem sequatur dolor sufficiens de peccatis & offensa diuina, saltem tanquam de obiecto materiali.

Atq; ex his patet ad rationem in oppositum.

LXXXIII. *Seraphinus adolescens magno affectu fertur erga sac. Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci, inque eum suscipi saepe & ardentè petit, sed semper fert repulsam absque vlla spe. Statuit ergo in seculo, quantum potest, ad morem illorum Religiosorum viuere, ideòque inter alia vouet DEO paupertatem aequè strictam, atque obseruant Minorita, abiectiõnem scil. omniũ rerum externarum & dominij in easdem. Queritur. Vtrum Seraphinus habeat dominium in res uendicando acq̃uistas, & ipso vsu consumptibiles?*

Videtur omnino habere. Ita Bartolus, Syluester, Turrecremata, Sarmientus & alij apud Thom. Sanchez L. 7. in decalog. c. 18. n. 4. existimantes, dominium ab vsu huiusmodi rerum non esse separabile, quod probant. Tum auctoritate Ioannis Papæ xxii. in extrauag. ad Conditorem apertè id asserentis. Tum quia vsus est jus vtendi re alienâ, saluâ eius substantiâ. Sed ista non saluatur in rebus vsu consumptibilibus. Ergo &c. Tum quia si vsus pecuniæ separati potest à dominio, poterit alicui vendi vsus, retento dominio; hoc autem dici non potest ed, quod sic vsura esset licita,